Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Sermo xl.vi. ab eo quod dictum est ego sum pastor bonus. bonus pastor
animam suam dat pro ovibus suis usque ad id quod ait mercennarius autem fugit quia
mercennarius est et non pertinet ad eum de ovibus.

Thome

LOQUENS DOMINUS IHESUS OVIBUS
SUIS ET PRESENTIBUS ET FUTURIS QUE
tunc aderant quia erant ibi iam oves, erant que et
future erant oves eius, item presentibus et futuris, et illis et
nobis, et quotquot etiam post fuerint oves eius, quis ad eas mis-
sus esset ostendit. Omnes ergo audiant vocem pastoris sui dicen-
tis: ego sum pastor bonus. Non adderet bonus, nisi essent pastores
mali. Sed pastores mali ipsi sunt fures et latrones, aut certe ut
multum mercennarii. Omnes enim hic personas quas posuit requirere dis-
tinguere nosse debemus. Aperuit enim iam duas res dominus, quas quo-
dammodo clausas posuerat. Iam scimus quia ipse est ostium, scimus
quia ipse est pastor. Fures et latrones qui sint, in hesterna lectione
patefactum est. Hodie autem audivimus mercennarium, audivimus
et lupum. Heri nominatus est et ostiarius. In bonis ergo ostium est, ostiarius et
pastor et oves; in malis fures et latrones, mercennarii et lupus.
Ostium Christum dominum accipimus, ipsum pastorem. Ostiarium quem? Hec enim
duo ipse exposuit, ostiarium nobis querendum reliquit. Et quid ait
de ostiario? Huic inquit ostiarius aperit. Cui aperit? Pastori. Quid
aperit pastori? Ostium. Et quis est ipsum ostium? Ipse pastor. Numquid si
dominus Christus non exposuisset, non ipse dixisset ego sum ostium et ego sum pas-
tor, auderet quisquam nostrum dicere quod ipse Christus sit et pastor et ostium?
Si enim diceret ego sum pastor et non diceret ego sum ostium, quesitu-
ri eramus quid esset ostium, et forte aliquid putantes ante ostium re-
mansuri. Gratia illius et misericordia nobis exposuit pastorem, se ipsum
dixit; exposuit ostium, se ipsum dixit; ostiarium nobis querendum reliquit.
Quem nos dicturi sumus ostiarium? Quemlibet invenerimus, cavendum est
ne maior existimetur quam ipsum ostium, quia ostiarius in domibus
hominum maior est ostio. Ostiarius enim ostio, non ostium preponitur osti-
ario, quia ostiarius ostium, non ostium custodit ostiarium. Non audeo
dicere aliquem ostio maiorem. Audivi enim iam quid sit ostium; non
me latet, non sum dimissus coniecture mee, non mihi humana relaxa-
ta est suspicio. Deus dixit, veritas dixit; mutari non potest quod incommu-
tabilis dixit. Dicam ergo in huius profunditate questionis quod mihi videatur;
eligat unusquisque quod placet, pie tamen senciat sic quod scriptum est.